

7
D. D.

DISSERTATIO HISTORICA
DE

HOLMGARDIA,

Cujus

PARTEM QUARTAM,

CONSENTIENTE AMPLISSIMO SENATU PHILOS.

IN REGIA ACADEMIA ABOËNSI,

PUBLICO EXAMINI SUBJICIUNT

**JOHANNES
BILMARK,**

FACULT. PHIL. ADJUNCTUS,

ET

JOHANNES COLLIANDER,

WIBURGENSIS,

DIE VIII. DECEMBRIS ANNI MDCCLIX.

L. H. Q. A. M. C.

ABOË, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL.

S:æ R:æ M:tis

MAXIMÆ FIDEI VIRO,
Reverendissimo PATRI ac DOMINO,
**D: NO CAROLO
FRIDERICO
MENNANDER,**

S. S. Theologiæ DOCTORI Celeberrimo,
Diœceseos Aboënsis EPISCOPO Eminentis-
simo, Regiæ Acad. ibid. PRO-CANCELLA-
RIO Magnificentissimo, Scholarum per Dice-
cesin EPHORO Accuratissimo, Reg. Acad.
Scient. Holm. MEMBRO Dignissimo.

MÆCENATI MAXIMO.

Non adeo mutis me fors inclusit Amyclis,
Quæve diu tacuit, sic mea Musa riget;
Amplius ut fileam, Patrius cum personat orbis,
MAXIME MÆCENAS, laudibus usque TUIS.
Vindice

Vindice TE floret pietas, Ecclesia vernat,
Hæresiumque nocent toxica nulla gregi.
Hæc fervent artes, nervi fontesque bonorum,
Gnaviter & Musæ jam sua pensa trahunt.
Quippe TUI cunctos recreat mox aura favoris,
Et valde gaudes posse juvare bonos.
Propter & ingenii vasti nitidissima dona,
Notus es Eois, notus & Hesperiiis.
Nam sive Historiæ campos spatia per amplas,
Vel quoque Naturæ mystica facta doces,
Blandifono pangis plectro seu carmina sveta;
Ista novem possent scripta decere Deas.
Denique sic præstas sacundæ munere lingvæ;
Ut quosvis animos in TUA vota trahas.
Sed TUA dum tento complecti carmine facta,
Obruor, ac tantum Musa recusat opus.
Mitte hæc, Calliope. Summum venerare Patronum,
Qui fuit in dubiis portus & ara tibi.
At quid agam? Voces ingens favor opprimit ore:
Hinc tacita, at jugi TE pietate colam.
Sume tamen facilis devotæ pignora mentis,
Hoc opus, hæcce TUIS debita thura focis.
Sint ea parva licet, nec tanto Nomine digna;
Ast aliquid pretii candida vota dabunt:
Nil TIBI, nilque TUIS noceant incommoda fati,
Nec frangat vires publica cura TUAS.
Vive diu felix, Heliconis adorea nostri,
Præsidium Musis, alter Apollo vale!

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

humillimus cliens

JOHANNES BILMARK.

Konstl. Majors
Tro- och Capitaine af Kongl. Pavalstaus-
Regemente til fot /
Wäl Adle Herren /

Herr **A R V E D**
COLLIANDER,
Min Huldaste Fader.

Mådeligen har jag fått lämna Martis modiga bus-
sar / och åter begifwa mig til Musernas stilla och
hufwa Parker. Men at mit ödes skiepp / som
hit tills blifwit kastat af allehanda wäder-zilar / nu får
ankra wid detta hysra Låro-säte / måste jag / nåst Gud /
tilskrifwa Er / Min Gromma Fader / som för min upkomst
haft alt ospardt: ja försträckt mig mera / än Edra wil-
kor welat tillåta. Jag har njutit af Eder så stora och
många wälgjerningar / at hwarcken min tänke-gåfwa kan
dem begripa / eller min tunga dem uttala. Inmedertid
nedlägger jag för Eder / Min Hulda Fader / detta arbete /
hwilket af mig / som et snille prof / skal förswaras. Ut-
tagen det / som et litet wedermåle af den barnsliga wörds-
nad, hwar af mit inre til döden lägar. Förhynen / som
ifrån så många wädeliga tilfällen / hwilka i Batailler föres-
falla / mildeligen frånsat Min Hulda Fader / tackes med
allsköns både andelig och lekamtig wällignelse bekröna
Edra grå hår. Så önskar af innersta hjerta

Min Huldaste Faders

lydigste Son
JOHANNES COLLIANDER.

VIRO NOBILISSIMO,

D.^{NO} P E T R O
BOEKMAN,

Ad Legionem Regiam Savolaxienfem Centurioni inelyto,

PATRUI LOCO COLENDO.

Dantur homines perfrictæ adeo frontis, ut existiment, nullum omnino consortium Martem inter ac Palladem intercedere. Sed hi fere sunt, qui veram bellandi rationem ignorantes, temerarios ausus veræ fortitudinis specimina esse judicant. Ipsi autem media die cacutire mihi videntur. Etenim Doctrina, ut recte censet Magnus VERULAMIUS, non in civilia tantum atque artes pacis influxum habet, sed et in militari virtute exercet vim suam ac potentiam. Hinc etiam TU, Patruæ carissime, non minus Musarum frequentasti choros, quam Bellonæ castra jugiter es secutus. In adolescentia enim tantos fecisti in litteris progressus, ut dignus sis habitus, qui ad majora confestim militaria munera provehereris. Deinde ut vacationem ætatis obtinuisti, totus in scientias incumbis. Proinde non indigne feras, quod non tam more, quam pietate in TE ductus, Dissertationem hanc TIBI consecrem, in qua reperies Heroum facta, TUA, ut spero, cognitione non indigna. Quicquid sit, permittas opus hoc esse pignus prolixæ, quo TE prosequor, venerationis. Quam gratiam si dederis, ad Supremum Numen calidissima fundam vota, velit TE, omni felicitate maëtatum, in longam annorum seriem sospitem conservare! Ero, dum vixero

NOBILISSIMI NOMINIS TUI

cultor humillimus

JOHANNES COLLIANDER.

Ko. 131. Majts

Tro = Tjenare och Lieutenant wid Kongl. Tavastehus Regemente til fot/

Herr **CARL HINRIC**
SASS

Min Högstärade Herr Farbror.

De stora wälgjärningar, som J, Min Farbror, i flere år helt oförtjent hafwen mig bewisat, förbinda mig til största årkänsla. Jag har länge önskat mig et sådant tillfälle, hwarigenom jag offentligen sünge betyga min ödmjuka tacksamhet; men mitt swära öde har hit intil hindrat de wördnads lågor, hwar af mit inre länge brunnit, at utbrista. Fågna derföre mig så mycket mer af den anledning mig nu gifwes, at förklara åtankan af min skyldighet. Uptagen, Min Kare Farbror med wanlig ynnest hwad jag har den äran at Eder upoffra; låt det så wara et litet wedermåle af den högaktning jag för Eder wårda Person hysar. För öfrigt skal jag aldrig underlåta, at med trogna böner anropa den Högsta Guden, Han täcktes rikeligen förrunna Eder all sällhet, som i denna wanfligheten kan af någon dödelig åstas. Förblifwer med tilgifwenhet och wördnad

Min Högstärade Herr Farbrors

Ödmjukaste tjenare

JOHANNES COLLIANDER.

Regementets Commissarien;

Ädel och Högaktad /

Herr I V A R

GRUNDSTRÖM,

Min Högårade Käre Farbror /

Sålgjeringar äro de medel, hvarigenom, näst Guds wälsignelse, wår ufwomst snart och lyckeligen befrämjas. Utom dem stadne wi alle uti en usel wannakt, som antingen aldrig eller gänka sent kan öfwerwinnas. Dersföre så får wår wälfärd äro, så hjärt bör också deras minne hos oss wara, som hafwa på något eftertryckeligit sätt befordrat wår lycka. Ingen må dersföre undra, om jag, som åtnjutit så mycket gunst af Eder, Min Käre Farbror, tager detta tillfälle, at wisa et litet prof af min årkänsla. Men wänta intet, at jag skal upräkna Edra förtjenster emot mig. De öfwergå sannerligen både min tänke- och tale-gåfwa. Jag lämnar Eder allenast detta arbete, med försäkran, at så länge Edert wärda namn här lyser, skal jag intet förgåta min skyldiga tilgifwenehet. Sluteligen önskar, at den stora Guden, wille göra Min Käre Farbrors dagar både många och sälla. Förblifwer med allhögt aktning

Min Högårade Kära Farbrors

Edmjuk förbundne tjänare

JOHANNES COLLIANDER,

Wäl-Adle Serren,
Herr JOACHIM KORPENFELT,
Min Högtårade Kjäre Nerbror,
Etyhjunckaren wid Kongl Artillerie - Regimentet,
Wälborne,

Herr ADAM OTTO TANDEFELT,
Fältwäbelen wid Kongl. Tawastehus Regimente til fot
Adle och Manhaftig,

Herr ARVED FRIDRIC COLLIANDER,
Min Högtårade Kära Broder,
Fourieren wid samma Regimente
Adel och Manhaftig

Herr ERIC ADOLPH BRÖIJER,
Min Högtårade Kära Swäger,

För et tackfamshets prof för all bewist ynnest och wän-
skap, öfwerlämnar jag Eder, Mine Herrar, detta Aca-
demiska arbetet, med innerlig tilönskan af all sällhet och
förförksamhet. Förblifwer med skyldig tilgifwenhet

Mine Herrars och Synnars

förbundne tjänare
JOHANNES COLLIANDER.



I. N. 7.

§. XLIII.

Regionibus quibusdam Gardariciæ a ferocibus populis, quorum mentionem nuper fecimus, occupatis, facies rerum in his oris admodum fuit mutata. Amicitia enim, qua Svecos plerumque amplexi fuerant Holmgardi, in rubilo hoc statu adeo decrevit, ut progenitores suos iterum iterumque armis laceffere non dubitaverint. Ut insultus hos ab orientali plaga sæpe ingruentes reprimerent Reges Svethiæ, seculo sexto magnis stipati copiis ad Holmgardica littora sese frequenter contulerunt. Inter hos Rex Upsaliensis *INGVARIUS HARRA* seu *Excelsus*, Osteni filius, sua temere despici signa ægerrime ferens, cum contumacibus Holmgardis multa prælia non minus fortiter, quam feliciter gessit; adeo ut totam Estoniam in suam redegerit potestatem, nec non alias bene

A multas

multas orientis regiones sibi reddiderit vectigales (a). Hinc statim progressus victricia arma usque ad Pontum Euxinum circumtulit, & *Chasaros* (b), qui, Hunnis, mixti imperium per Holmgardiam magis magisque extendere nitebantur, partim expulit, partim etjam sibi subjecit. Tum opibus & gloria insigniter auctus reditum in Patriam paravit. Ut autem in Estoniam pervenit, & res ibi constituit, cives jugum sibi impositum excussuri, ipsum, nihil periculi metuentem, fraudulenter aggressi sunt, atque una cum maxima exercitus parte in loco quodam, *Stene* (c) dicto, occiderunt (d). Quam inclyta autem hæc per septentrionem fuerit expeditio, plurima testantur monumenta Runica, in memoriam Virorum fortium, qui auspicia Yngvari sequentes in Oriente occubuerant, per Patriæ solum passim erecta, quæque ad nostram permanferunt memoriam (e). Ad hæc ferme tempora sunt illa quoque referenda, quæ annales Holmgardici de expeditione quadam in meridionales terras a Majoribus suis suscepta perhibent. Memoriam scilicet produnt, se cum Gothis, e Scandia egressis, *TOTILÆ*, Regi Ostro-Gothorum, auxilia tulisse contra Imperatorem *JUSTINIANUM*, multaque prælia prospere gessisse: quod etjam Demetrius, Moschovitarum legatus, coram Pontifice Romano, *CLEMENTE VII.* adfirmavit (f). Hæc obiter. Magna autem clades, quam in Estonia acceperant Sveci, non diu inulta mansit. Manibus enim Yngvari & hujus commilitonum, sanguine conju-

conjuratorum populorum Orientalium strenue parentarunt filii ejusdem *AMUNDUS* (g) atque *SKIRA* (h). Immo, debellatis hostibus, rem. eo perduxerunt, ut Skiram Regem suum eligere cogentur Holmgardi (i). Ipse autem Amundus pretiosissimis ornatus manubiis in Svethiam remeavit, ibique felicitatem civium variis inventis promovit. Sicut vero Skira fortissimus fuit Princeps, ita nulli dubitamus, quin, Holmgardico admotus imperio, egregia multa ediderit facinora; quæ tamen rite exponere prohibet ingens monumentorum defectus. Denique observamus, quod dum hæc a Svecis geruntur, pars Gothorum auspicio Principis *ALGOTHI* Rotherum, Piratam Holmgard. cum profligaverit, nec prius se hinc receperit, quam Bjarmii, ceterique vicini populi imperata facerent, & Svethiam perpetuo tributo agnoscerent superiorem. (k).

(a) Vid. *STURLONIDIS* Tom. I. p. m. 41, nec non *MESSENI* Sc. II. Tom. I. p. m. 25. (b) Hi populi ex genere Tattarorum fuerunt, veteresque Scandinavi ipsos non raro adpellarunt *Kussar*, vid. *STURLONIDIS* Tom. II. p. m. 57. atque *STRAHLENBERGI* Nord und Ost theil Sc. p. m. 172. Holmgardi autem illos *Casaros* nominarunt, cum quibus ante adventum Rureci multa & gravia gesserunt bella; jugum vero sibi impositum ope Varegorum tandem excusserunt, confr. *HERBERSTEINI* libr. de Reb. Muschov. p. m. 2. Ad hos populos referendi etjam sunt illi, qui minorem inhabitant Serklandiam, *Sirkassi* hodie dicti, vid. Henr. *BRENNERI* Notat. ad Seriem Principum Iberia & Sirkassia Sc. p. m. 89; cui addatur E. J. *BJOERNERI* Prodrömus ad Geographiam Scandiv.

Scandia, (c) De situ & indole hujus loci pluribus differit *VILDE* in *Observat. ad H. S. P. p. m.* 113 & 187. (d) vid. *STURLONIDIS Tom. I. p. m.* 42. (e) Insignem horum, perquam eleganter delineatorum, numerum exhibet *PERINGSKJÖLD* in *Åttart. p. m.* 21 --- 27 inclusive. (f) vid. *REUTENFELSI libr. tit. p. m.* 33. Hinc Moschovitæ gloriari solent, se Gothis quondam auxilio fuisse in Cæsarum imperio destruendo ac Roma subvertenda; omnes vero propterea Gothos fuisse adpellatos, quoniam hi Auctores illius expeditionis extitissent, vid. *Pauli JOVII libr. de legat. Moschovit. p. m.* 124. (g) Hac victoria perquam instati Estones non minus, quam Holmgardiæ imperium meditabantur; quæ molimina etjam moverunt Amundum ad copias suas huc transferendas, vid. *BJOERNERI libr. de VAREGIS p. m.* 83. Ceterum Princeps hic populis Orientalibus tantum terrorem armis suis victoricibus iniecit, ut, quemadmodum Svethiæ Rex *DOMALDUS Jota Dolgi* seu *Jutarum* terror erat dictus, vid. *STURLON. Tom. I. p. m.* 19; ita Amundas noster *Eisfra Dolgi* seu *Holmgardorum* terror nuncupatus fuit, conf. *STURLON. cit. a DALINO in Hist. Sv. Tom. I. p. m.* 395. (h) Nomina Propria ab initio pleraque fuerunt adpellativa; quod de nomine *SKIRA* pariter est tenendum. *Skira* autem partim innocentem, partim etjam aquis lustratum seu baptizatum denotat. Priori significato indicat hominem modestum & vitiorum fordes jugiter evitantem; posteriori autem, vocabulum hoc cum *strenkilli* nomine pulchre convenit. Porro nisi omnia me fallant, Princeps hic non ideo adpellatus est *Skira*, quod illo lustrationis genere, quo ab antiquissimis retro temporibus non solum Scandinavi, vid. *STURLON. Tom. I. p. m.* 71. & 118, verum omnes fere populi gentiles, usi sunt, initiatus fuerit; sed quod sanctissimo Baptismi lavacro sit tinctus. De probabilitate autem nostræ sententiæ tanto minus est dubitandum, tum quod

quod constat, faculas quasdam Religionis Christianæ, admodum licet raras, hac tempestate per septentrionales oras fuisse accensas, ceu egregie docent lapides Runicī hoc seculo erecti, quos exhibet *PERINGSKJÖLD loc. cit.* tum etiam, quod genuina nulla & constans alioquin foret denominationis ratio. His adde, quod per crebra Regum Svethicorum & Holmgardicorum cum imperatoribus Constantinopolitanis fœdera, quæ etiam ante hoc tempus invaluerunt, ad notitiam augusti hujus Sacramenti facile pervenire potuerint Majores nostri, confr. *DALINI Hist. Suec. Tom. 1. p. m. 350, 351, 393.* Plura argumenta, quæ nostram confirmant opinionem, silentio jam præterimus. Porro *Skira* hujus memoriam servat etiamnum monumentum Runicum in honorem ipsius Thalassiarchæ *SIGVIDI* in Sudermannia erectum, qui in expugnatione regni Holmgardici, duce *Skira* facta, occubuit, vid. *PERINGSKJÖLD loc. cit.* Denique tenendum est, quod ab hoc fortissimo Principe nomen suum acceperit Asia provincia *Skirvan* dicta ad mare Hircanum, sicut mihi benigne significavit *Cel. Prof. & Bibl. SCARIN. (i)* vid. *PERINGSKJÖLDI libr. cit. p. 27. (k)* confr. *Johannis MAGNI Histor. G. & Sv. libr. VIII. p. m. 345.*

§. XLIV.

SKiræ defuncto in imperium successit *RADBAR-DUS (a)* A. C. 590 circiter, qui, ut perquam verisimile est, illi suam debet originem *(b)*; atque sedem imperii, more primariorum Holmgardiæ Regum, Aldejoburgi constituit *(c)*. Inter regni ejus initia accidit, ut Princeps Svethica *AUDUR DIUVAUGDA (Öda den Grundrika)*, Regis Upsalien-sis *IFWARI Widfanne* filia, immanem Patris crudelitatem exhorrescens, qui dolis atque insidiis

conjugem suam *HRÆCUM Slangwanbøge* (d), Daniæ Principem, post primas matrimonii delicias e medio sustulerat, una cum parvulo filio *HARALDO*, postmodum *Hildetan* (e) dicto, in Holmgardiam se reciperet; sperans, se in his potissimum remotissimis terris securitatem fore obtenturam. Radbardus autem feminæ tam illustris misericordia captus, in aulam suam protinus ipsam admisit; ubi non minus propter venustatem, quam ingenuos mores Principi & adolescenti ita placuit, ut, impetrato ejus consensu, in matrimonium ipsam duxerit. Ex hac conjugè præter alios liberos, duos suscepit filios *RANDVERUM* (f) & *ROGNWALDUM* (g). Verum Isvarus, cui, post perpetratum in priorem generum facinus, latrans conscientia quævis mala denunciavit, novam eandemque insignem filiæ fortunam non sine vehementi indignatione cognovit. Partim igitur amplissimorum, quæ in Holmgardia ipsum manere videbantur, spoliolorum cupiditate allectus, partim etjam ulciscendi stimulis agitatatus, quod Radbardus se invito & non rogato filiam ejus matrimonio sibi junxisset, numeroso stipatus exercitu in Gardariciam confestim advolat, nihil nisi cædes, rapinas ac incendia spirans. Sed vel ex eventu hujus expeditionis constare potest, quam exiguis momentis maximi sæpe casus intercitant. Scilicet præsentissimum, quod Holmgardis jam imminebat, exitium nec ingentibus copiis, nec argutis stratagematibus, sed ludicris præstigiis, quibus multa tribuebant gentiles, fuit

fuit depulsum. Paulo enim ante, quam provincias vastaret Holmgardicas, cum classem adhuc in anchoris teneret Ifwarus, factum est, ut prodigioso somno aliquoties excitaretur. Hujus porro interpretationem ut sinistram esse docuerat familiaris ejus *Hordus*, in mare sese præcipitavit; & sic turpi omnino, verum, ut ipsi videbatur, forti morte vitam haud longe ab Aldejoburgo, ubi castra habuit nautica, finivit (*b*). Exstincto ita Ifwaro, cum nemo esset, cujus auspicia jam sequerentur milites ejus, & præterea cogitarent, quod nulla omnino injuria a Rege Holmgardiæ fuissent provocati, infectis rebus suos repetiverunt penates. Radbardus autem hujus periculi metu liberatus, occasionem sibi oblatam privignum Haraldum in hereditarium regnum restituendi, temere dimittendam non esse censuit; quamobrem Ifwari nepotem, classi copiisque præfectum, in Patriam remisit. Sed tantis Haraldus non opus fuit præsidii, ut sua sibi vindicaret; agnito enim Principi fasces imperii sponte sua submiserunt cives (*i*). Præterea aliam adhuc tempestatem sustinuisse videtur modo memoratus Holmgardiæ Rex. Etenim *ARITHUS*, Gothorum Princeps, cum Holmgardis, Livonis, Curlandis, aliisque vicinis gentibus bellum tanto successu gessit, ut Radbardus impedire non potuerit, quin & magnam famam & ingentes consequeretur manubias (*k*). Tandem de Radbardo est observandum, quod quamvis opibus ac copiis

plurimum

plurimum valuerit, Regum tamen Upsaliensium imperio sese subducere non potuerit (l).

(a) Nomen hoc Gothica omnino originis est, descendens a *Rad* consilio, unde *Radsvidur* consilii plenus, atque *Barda* pugnare, unde *Bardage* pugna; & proinde *Radbardus* significat virum in belli fervore consilii plenum. (b) Confr. *DALINI Histor. Svec. Tom. I. p. m. 394.* (c) vid. *PERINGSKJÖLDI libr. cit. p. m. 28.* (d) Monuimus supra §. XXXIX. & not b. quod *SAXO* diversos admodum natales *Hildetano* nostro adsignet, nec ullus dubitat, quin cum alibi, tum etjam hoc in loco valde sit hallucinatus. Præterea & *Nostri Histor. Herw. & clarius adhus MS.* quod in Dania servatur, meminit, *Hildetanium* procreatum fuisse Rege *VALDARO & ALFHILDE*, filia *Iswari Wisfamne*. Ut nodi hi Genealogici, qui solvi plane non possunt, ita tamen fecarentur, ut nominato MS. Danico quædam constaret integritas, *Cl. T. TORFÆUS in Serie Reg. Dan. libr. III. p. m. 314.* supponit duos fuisse *Haraldos Hildetanos*, alterum *Nræcco & Audure*, alterum autem *Valdaro & Alsbilde* prognatum, quorum utriusque matres de necessariorum eujusdam nomine filios *Haraldos* adpellarunt, utrique vero postea idem *Hildetani* cognomen usurparunt. Videns autem *Torfaus* facilius ista supponi, quam rite adstrui, ingenue concedit, mendum circa præfens negotium in *MS. Daniæ* irrepsisse: quod nos etjam existimamus. Denique observamus, quod agnomen illud *Hildetani* Historicorum ingenia plurimum torferit. Quidam enim ipsum ita adpellatum volunt a longis & prominentibus dentibus, quos tamen ex arbitrio ipsi adtingunt, ut rationem etymologiæ suæ aliquam habeant. Alii autem deducunt origines nominis hujus ab *Hylda*, fidem alicui obstringere & *ran* subjecto, atque existimant, Regem hunc Imperatori *CAROLO MAGNO* homagium præstitisse. Hæc autem sententia

eia facile convellitur, si modo cogitemus, Haraldum no-
 strum circa medium seculi VII vixisse; sed Carolum M. circa
 initium seculi IX. floruisse. Commodius igitur nomen
 hoc deducimus ab *Hidr* pugna & *tan* vel *dan* bono;
 adeoque *Hildetan* significat strenuum & felicem bellatorem;
 qualem Haraldum in initio saltem regni fuisse, vetusti an-
 nales satis docent. (d) Nomen hoc descendit a *Slanga*
 projicere & *baugr* annulo; illudque cognomen propterea
 accepit, quod annulum aureum occasione quadam in mare
 projecisset, vid. *VILDI observ. ad H. Sv. Puff. p. m.*
220. (e) Confr. *Fragmentum Histor. de Isvaro & Iafarne*
cit. a VILDE in libr. nom. p. m. 222. // (g) Hic Svethia
 Regi, *Sigurdo Ring*, suppetias tulit in acerrima pugna
 Bravallensi, in qua magnam edidit hostium cladem; tan-
 dem vero a pugile *Ubbio Friso* multis, eisdemque gravissi-
 mis, vulneribus transfossus occubuit, vid. *TORFÆI Histor.*
Norv. Part. 1. p. m. 450. (b) Vid. *VILDI libr. cit. p. m.*
223 & 225; Cui addatur *TORFÆI Series Reg. Dan. Libr. III.*
Cap. VIII. p. m. 312. (i) Confr. *A. A. EENS Dissert. de*
modis acquirendi imperium Svo-Gothicum p. m. 23. & ci-
 tatos ibid. ab ipso Auctores. (k) vid. *Johan. MAGNI*
Histor. libr. VII. p. m. 350. (l) Hoc dilucide admodum
 ostendit *Histor. Herwaræ Cap. XX. p. m. 179.* *Isvar bin Vid-*
farni lagði tha under sig Sviavelde oc Gautland, Saxland oc
all Austurrike alt til Gardaríkis, h. e. Isvarus Vidfarni tunc sibi
 vindicavit universam Svethiam & Gothiam, Saxoniam & omnes
 terras orientales usque ad Gardariciam. Idem prorsus ex
 alio Herwaræ Hist. exemplari comprobatur. *FONTOPPI-*
DANUS in libr. cit. p. m. 351. Egregie vero hæc omnia pro
 more suo explicat *VILDE in lib. cit. p. m. 219.*

11(f)

§. XLV.

EXstincto Radbardo, solium Patris conscendit
B
RAND.

RANDVERUS (a) circa medium fere seculi VII. (b). Hic tot septemtrionis provincias sibi subjectas tenuit, quot vix alius Europæ Princeps ista tempestate haberet. Post obitum enim Avi materni Svethiam & Daniam simul cum fratre *Haraldo Hildetano* rexit, & postea jure hereditatis imperium Holmgardicum solus obtinuit; ac proinde Monarcha totius fere Scandinaviæ fuit (c). In matrimonium duxit *ASAM*, Reguli cujusdam Norvegici, *HARALDI Gortrangerensis* seu *Geir-røderensis* filiam, ex qua suscepit *SIGURDUM RING*, Principem in Historia Patriæ maxime celebrem (d). Magnæ autem Randveri potentiæ minus respondit perpetuitas. Etenim parum contentus avitum tueri splendorem, eundem propriæ fortitudinis experimentis augere satagit. Quamobrem junctis cum Haraldo copiis in Angliam sese contulit, & Northumbriam quidem in formam provinciæ redexit; verum in obsidione urbis *Lindesfarne* occupatus in florentissimo rerum suarum statu, ut caduca est mortalium conditio, subitanea morte correptus An. 680. circiter decessit (e). Dum vero Reges Svethiæ his temporibus partim in occidentalibus Europæ regionibus diutina gererent bella, partim etjam cum vicinis populis frequenter præliis distraherentur, sicque vires suas nimium attererent; factum est, ut gentes Orientales, non aliter ac si virtus Gothica senuerat, imperio Svethico sese sensim subtraherent atque regna sua postliminio recuperare inciperent. Verum isthæc molimina trajecto

trajecto in Gardariciam exercitu dissipavit fortissimus Sigurdus; Fennones, Livonos, Estones, aliosque Holmgardiæ populos post ardua certamina ad officium redire, ac Regibus Upsalienibus annua, quæ conveverant, tributa pendere cogens (f). Interfecto tempore cum ab expeditionibus belicis ob provec̄tam ætatem vacaret Sigurdus, nubes quædam Holmgardorum Svethiæ littora infesta reddidit; verum, hi rebus minus prospere gestis, ad sedes suas mox reversi fuerunt (g).

(a) Hujus quoque nominis Gothicam reperimus originem. Descendit enim a *Rana*, quod extremitatem vel limitem alicujus rei denotat, & *verja* defendere; adeoque *Randverus* significat Custodem limitaneum seu Marchionem. Insuper observamus, quod cum hoc Principe inceperit *Dynastia Randveriana*, qua diu in Patria regnavit, & demum in *EMUNDO ANNO* An. 1060 circiter fuit extincta. (b) vid. *PERINGSKJÖLDI libr. cit. p. m. 29.* (c) Confr. *VILDI observ. ad H. Sv. Puff. p. m. 236.* (d) Vid. *TORÆI Hist. Nor. P. I. p. m. 448*, nec non *Histor. Hervara Cap. XX. p. m. 179, 180.* (e) vid. *TORÆUM loc. cit.* inprimis autem consulatur *DALINI Histor. Tom. 1. p. m. 458.* (f) vid. *VILDI libr. cit. p. m. 245.* (g) Caterva hæc Holmgardorum, Svethiam invadentium, in *Historiola de factis Norna Gesti* dicuntur *QVANI* & *Curi*, quos Carelios fuisse existimat *VILDE loc. cit.*

§. XLVI.

Laudato Randvero in imperium Holmgardicum seculo VII. nondum adulto successisse *HERGERUM* (a), admodum est probabile; cujus natales,

nisi a Randvero sit ortus, nos penitus latent. In matrimonium duxit *YSGERDEM*, Principem in Gothia natam; ex qua suscepit filiam, *INGIGERDEM*, omnium suæ ætatis virginum facile pulcherrimam. Sub hujus imperio alma pace diu fruebantur Holmgardi; tandem vero ipsum, nihil hostile metuentem, noctu aggressus est Norvegiæ Rex *OSTENUS*, Sigurdi filius, atque mœnia Aldejoburgi, oppidanis alto sopore pressis, magna ex parte diruit. Hinc ad prælium est ventum, in quo licet Hergeirus fortissime pugnaret, hostium tamen multitudine obrutus cecidit (*b*); quo factò, totam Holmgardiam brevi tempore in suam potestatem redegit Ostenus. Ut vero cladem, quam Aldejoburgenses passi fuerant, cognovit *SKULIUS*, Jarlus Alfsburgensis, cui filiam educandam pridem traderat Rex, exercitum confestim contraxit, injuriam civibus illatam mascule repulsurus. Verum in ipso adparatu gravi adeo implicitus fuit morbo, ut comparatas phalanges ipse in aciem ducere non valuerit; unde factum, ut illæ prope Alfsburgum a Norvegis sint dissipatæ. Hæc cernens Skulius, vir non minus prudens quam fortis, se & alumnam suam callido invento servavit. Enimvero ut subita & nimia felicitas raro solet esse diuturna; ita Ostenus hic, dum propter amplam victoriam convivia securius egit, in cubili suo a nominato Skulio paulo post fuit trucidatus. Hinc Proceres Holmgardiæ convenerunt, atque regnum *HALFDANO*, Osteni filio, obtulerunt; quod tamen ipse
vin-

vindictæ cædis paternæ totus intentus, *SIGISMUNDO*, Gothiæ Regi & Ysgerdis fratri, in Gardariciam evocato, dum rediret, administrandum tradidit. Haldano autem peregre profecto, Ulfkelus Robustus, qui Ducatum Alfsburgensem ab Osteno acceperat, totum Gardariciæ regnum sibi subicere nitebatur; verum perfida hæc molimina facile elusit ac dissipavit Sigismundi industria. Interea Haldanus, dum Skulium persequitur, in multa & gravia pericula incidit; quibus certe succubisset, nisi Skulius, semper ignotus, suppetias ipsi oportune tulisset. Tantis beneficiis devinctus Haldanus, supplici Skulio facinus commissum condonavit. Præterea regno Holmgardiæ ipsum præfecit, nec non novercam suam, Reginam Ysgerdem, conjugem ipsi dedit; sibi Norvegiam & Principem Yngigerdem reservans (c). Skulius autem fatiscienti imperio admotus, in eodem rite constituendo totus fuit occupatus. Suscepit etjam ex conjugè sua filium *HREGGWIDERUM*, qui robore ac fortitudine plerosque pugiles superasse, atque post Patris obitum regnum Holmgardiæ obtinuisse, memoratur. De hoc insuper Principe tantum constat, quod filiam habuerit *INGEGERDEM*, quæ nupta fuit *ROLFO* Pedestri (*Gange-Rolf*), a celebri illo Norrmandiæ Conquastore probe distinguendo. Ad hoc ferme tempus referenda est ætas *REMIGII*, Principis Holmgardiæ; qui tamen Regulis potius, quam Regibus est annumerandus. Hic nuptias *ANNÆ*, filiæ Ducis Patriaborgi *VIGVALDI*, quem plurimis ornaverat beneficiis, ambivit;

cumque easdem impetrare haud posset, Duci bellum indixisse fertur. Deinde post varia certamina castellum, in quo familia regia commorabatur, tandem expugnavit Remigius; speciosamque prædam, Annam, domum deductam, matrimonio secum conjunxit, sed plerosque viros fortes adversæ partis captos ferro amputandos curavit. Denique non est reticendum, quod Remigius, cum priore sua conjugè duos genuerit liberos, filium *BALDUINUM* & filiam *ADAM*, quam sibi conjugem expetivisse dicitur Rex quidam Orientalis *NEREUS* adpellatus (d).

(a) Quod pleraque Principum Holmgardicorum nomina sint Gothica, & bellicum quid spirent, antea observavimus; idem quoque de *Hergeiro* est tenendum. Descendit enim ab *Her*, *Herre* Domino, Principe, & *Geir* veruto; unde *Geirs-oddi* vid. *STURL*, *Tom. 1. p. 11.* ac *Ger* bellum; significatque adeo virum, qui probe calleret artem projiciendi veruta in hostes. Profecto ob hanc peritiam laudantur Volsci apud *VIRGILIUM* *Georg. II. v. 168* - -

Adspetumque malo Ligurem, Volscosque verutos. Porro si quid valeat conjectura mea de ortu *Hergeiri*, proxima origo nominis repetenda est a loco matris natali, *Geirröder*. (b) Confr. *HALFDANI* *Ostenidis Historiam p. m. 4, 5, 6.* (c) vid. cit. *HALFDANI Histor. p. m. 56 & 57*, nec non *TORFÆI Histor. Norv. Part. 1. p. m. 295 & seqq.* (d) vid. *Historiam de ALBANO MS. citat. a BJOERNERO in libr. de VAREGIS p. m. 78.*

§. XLVII.

Proxime post obitum Hreggwideri seculo VIII. invenimus *HERTRIGGERUM* clavum imperii Holmgardici tenentem, qui magnum patrimonium non modo integrum servavit, sed illud ita adauxit, ut

ut regnum haberet terrarum spatiis atque incolarum numero facile amplissimum. Quibus hic parentibus sit ortus, tum etiam an cognationis quodam vinculo cum Hreggwidero fuerit conjunctus, solidæ aliorum disquisitioni relinquimus. Nobis tantum constat, quod duas susceperit filias, eodem quidem nomine *HILDUR* (a) insignitas, sed diversis admodum moribus ac studiis deditas. Altera enim illarum equos ac tela in deliciis habuit, altera autem colum ac telas, ceteraque sexus feminei negotia, diligenter curavit. Prior *BRINHILDA*, posterior vero *BECKHILDA* deinceps cognominata fuit. Videtur autem Hertryggerus pacatum diu habuisse imperium: donec Principes Jotunheimici, *Hilder* & *Gautias*, virgines jam memoratas adeo clanculum raperent, ut Pater, omni licet adhibito studio, filiarum fata detegere non potuerit. Inter hæc *EGILLUS*, Smalandiæ Regis *HRINGI* filius, navem ad Holmgardiæ littora adpulit. Mox vero sibi obvium habuit custodem Hertryggeri limitaneum, *ROGNWALDUM*, quinque admodum navibus stipatum; quem cum paucis militibus adeo fortiter est aggressus, ut plerosque Holmgardorum interfecerit, & Dux ipse, plurimis faucibus vulneribus, in fugam se conjecerit. Hic etiam, postquam suorum cladem Regi anhelus nuntiasset, exanimis decidit. Ad hoc facinus vindicandum missus fuit *ASMUNDUS*, Ottaris Halogiæ Regis filius, qui tunc temporis in aula vixit Holmgardica. Hic tamen post quædam certamina, eademque factis ancipitia, Egillum dignum judicavit, quem in amici-

amicitiam reciperet, receptumque Regi Holmgardi-
 co reconciliaret. Quid? Quod rem eo perduxerit,
 ut Egillus in locum Rognwaldi limitibus regni cu-
 stodiendis præficeretur. Hi porro Heroës multis la-
 boribus & longinquis defuncti itineribus binas Her-
 tryggeri filias, a se inventas, domum reduxerunt,
 easdemque ipsorum & Patris consensu publicoque
 Ordinum regni nutu uxores sibi impetrarunt; adeo
 ut Brynhilda Asmundo & Beckhilda Egillo in ma-
 trimonium cederet. Post hæc decessit Hertryggerus,
 in cujus locum successit modo memoratus Egil-
 lus (*b*); cujus singulas res gestas exponere a propo-
 sito nostro nimis foret alienum; inprimis cum præ-
 ter eas, quas modo enumeravimus, quid ad Holm-
 gardiæ florem contulerit, tacentibus Historicis, pror-
 fus ignoremus. Denique silentio non est prætereun-
 dum, quod Principes Tattarici amicitiam & affinita-
 tem gentium septemtrionalium, ut Holmgardorum,
 hoc ævo ambierint. Scilicet Rex Tattariæ (*c*) *RO-*
DIANUS conjugem duxit Hunnalandiæ Regis, cujus
 nomen in annalibus nostris non occurrit, filiam,
 ex qua suscepit filium *HERRAUDUM*, a multis pro-
 pter scientiam rei militaris valde dilectum. Hic post
 Avi Materni decessum regnum Hunnalandiæ obti-
 nuit (*d*), atque, interjecto tempore, cum Pater & fra-
 tres partim a prædonibus interfecti, partim subita
 morte extincti essent, Tattariæ imperio fuit præfe-
 ctus; adeoque Principum suæ ætatis potentissimus e-
 rat. Idem post varia fata & præclara fortitudinis
 specimina in matrimonium duxit *ASAM*, Gothiæ
 Regis

Regis HRINGI filiam, atque ut videtur, Egilli supra laudati sororem (e).

(a) Nomen hoc deduci potest vel ab *Hilli* gratia, significatque adeo, Principes has in numero Charitum Holmgardicarum fuisse, vel ab *Hilde*, quam instar Bellonæ coluerunt gentes boreales. (b) vid. *Egilli & Asmundi Histor.* p. m. l. 2, 8, 9, 70. &c. (c) Tattaros hos, quibus imperavit *Rodianus*, ad Wolgæ sese maxime incurvantis flexum constituit, adeoque cum Casanensibus & Astracensibus eisdem esse, existimat *Petr. SALANUS in Notis ad Egilli & Asm. Hist.* p. m. 131. Contra ea *TORÆUS in Hist. Norv. P. l. p. m. 315.* suspicatur, Tattariam hanc fuisse partem quandam Holmgardiæ, ad littora usque Maris albi extensam, adeoque Bjarmia vicinam. Et hanc verisimilem sententiam loco quodam ex *Sturlonide* adducto argute comprobatur. (d) Confr. *Egilli & Asm. Hist.* p. m. 50, vel, si vacet, *PONTOPPIDANI libr. cit.* p. m. 361. (e) vid. *cit. Egilli & Asm. Hist.* p. m. 75. collat. cum p. 38.

§. XLVIII.

Porro cum nulla in annalibus sit memoria gestorum Egilli, quæ in Holmgardia fecit, postquam habenas imperii capessivit, credere par est, ipsum, natalis soli amore ductum, avita sceptrâ paulo post repetivisse. Immo ex familia illius Principem, in Gardaricia regnantem, nullum omnino reperimus. Quoniam igitur *HERRAUDUS* quidam hoc circiter tempore Holmgardis imperitavit; probabile est, quod Egillus, hinc discedens, adfini suo Herraudo, cujus nuper mentionem fecimus, imperium reliquerit. Multas certe calamitates hæctenus senserat Holmgar-

gardia; verum quas bellicosissimi e Scandinavia Viri sub Regis modo memorati imperio provinciis Gardariciæ iterum iterumque intulerunt, nec pauciores nec minores sunt censendæ. Inter alios vero, qui tranquillitatem horum populorum turbarunt, innotuit *AUGMUNDUS* quidam *Eythiofcida* (a), notus minus propter immania flagitia, quam fortia facinora longe lateque famosus. Hic ex Norvegia, natali solo, navem solvens, partim in Gothia, partim etiam in Holmgardia varia cum pugilibus obviis habuit certamina, sed pleraque infelicia; multa temeritatis, plurima autem perfidiæ & crudelitatis vestigia ubique locorum relinquens. Tandem *Geirraudi* gigantis, vel, ut verisimilius judicamus, Reguli Holmgardici adfinitate, ducta in matrimonium filia ipsius *Geirride*, auctus, partem quandam Holmgardiæ consecutus est. Multos deinde sibi subjecit regulos; quibus, ut ferocissimum ipsi fuit ingenium, non magna solum, sed etiam inhumana (b), prorsus imposuit tributa (c). *OERVARUM ODDUM* (d), Grimi Hirsutigenæ filium, ex Norvegia itidem ortum, fortissimum imprimis æmulum expertus est nominatus Augmundus, qui palmas ipsi dubias sæpe reddidit. Ille ex gigantis cujusdam *Hilderis* filia, *Hildigerde* nuncupata, filium *Vignerem*, statura atque viribus communem hominum modum superantem, suscepisse traditur: quem adolescentulum atque insidiis cavendis minus adsvetum interemit Augmundus. Ex qua cæde tantum vulnus accepit pater, ut inter ipsum & sicarium hunc continuum bellum atque simulas

multas fuerit. Primo igitur in Bjarniam, mox in Gardariciam sese contulit Oddus, partim quod avitos penates, nati sanguine adsperfos, ferre non posset, partim quod Augmundum, quem in his oris degere cognoverat, ulcisci vellet. In Holmgardiam autem perveniens, in familiaritatem Regis Herraudi statim admissus fuit, & tanti factus, ut Marchio constitueretur, ac proximum a Rege dignationis locum obtineret (e). Post hæc in matrimonium duxit *SILKISIFE*, Herraudi filiam; immo post Regis hujus obitum ad imperium pervenit Holmgardicum. His instructus viribus vindictam, diu meditatam, non dissiulit, sed Augmundum ita ad incitas redegit, ut annua ipsi tributa pendere cogereetur. Qua victoria contentus imperium ad seram usque senectutem placidus administravit. Tandem autem ingenti in Patriam amore ductus, Norvegiam, quam sibi fatalem futuram vates pridem cecinerant, rursus petiit; ubi a vipera, ex cranio equi sui, jam dudum mortui, erumpente, graviter vulneratus occubuit (g). Hic etiam Oddus ex conjugè duos suscepit filios *AUGMUNDUM* & *HERRAUDUM*, qui patri in imperium quidem successerunt (h), sed qualia sub illis fata experta sit Holmgardia, prisca reticent monumenta.

(a) Hoc cognomine eam ob causam fuit insignitus, quod nutricium *Eyrbiofum*, optime de se meritum, occiderat. Vocatur etiam *Augmundus Floccus* vid. *E. PONTOPPIDANI* libr. cit. p. m. 355, ab illo *Flocco*, cujus in antecedentibus mentionem fecimus, probe distingvendus; quippe quo ætate longe fuit posterior.

jectis pilos tam superioris, quam inferioris labii una cuna subjecta cute, præter grandes pecuniæ summas, exegisse traditur, vid. *PONTOPPIDANUM loc. cit. (c) Confr. TORFÆI Hist. Norv. P. I. p. m. 272 & 273. (d) Hic Oddus insignem calluit jaculandi artem; quare etiam in vetustis annalibus Oddus Jaculator non raro salutatur. Quid? Quod propter hanc peritiam celebris jam ante evasisset ejus familia. Ipfius enim avus Catillus Hengus possedit Sagittas Gufianas, quæ non minorem in Norvegia, quam Herculis quondam in Græcia consecutæ sunt famam. Quamvis porro Oddus noster in aula Svethiæ Regis Ingialdi Illrada aliquamdiu sit commoratus, vid. *BJOERNERI libr. de Var. p. m. 21*, quem seculo VII. regnasse constat; hoc tamen non impedit, quominus sec. etiam VIII. ipsum floruisse existimemus, siquidem per longam annorum seriem & quidem per aliquot secula vixisse narretur, vid. *TORFÆI libr. & loc. cit.* Denique notandum est, quod *BJOERNERI libr. cit. p. m. 54 seqq.* existimet, hunc Oddum eundem prorsus esse cum illo *Olego*, qui tempore *Ingonis*, Holmgardiæ Regis, vixit. Et revera, complures circumstantiæ, imprimis; quæ mortis genus utriusque concernunt, adprime in ipsum quadrant; quocirca in eandem sententiam festim irem, nisi volentem revocaret diversa utriusque ætas. (e) vid. *BJOERNERI libr. cit. p. m. 24. (f) Inter alios Duces, quos in vigore ætatis superavit, fuit KNIELUS, Princeps Kjø-nugardenfis, vid. BJOERNERI libr. cit. p. m. 32. (g) confr. TORFÆI libr. cit. p. m. 273 & 274. (h) BJOERNERI libr. cit. p. m. 33 & 35.**

§. XLIX.

Interea vero, dum sive Herraudus sive ejus filii ad gubernacula regni Holmgardici sedent, *OLAFUS*, quem

quem Asmundus supra memoratus ex conjugē suā Brynhilda suscepit, Princeps fortissimus, partem hujus Imperii vel armis sibi subiecit, vel hereditate est consecutus (a). Hic intra avitos penates non consenuit, verum quamprimum ætas permisit, regnum amicis suis defendendum tradidit, dum ipse in exteris regionibus opes & gloriam sibi quæreret. Classe igitur atque exercitu comparatis, occidentem versus in Norvegiam cursum dirigens, ad scopulos, *Ulfaskjær* dictos, primum adpulit; quibus spoliatis, alias quoque insulas in suam redegit potestatem. In quadam vero harum obvium sibi habuit *Rognvidum*, gladiatorem ferocem; qui, instituto certamine, duos quidem Regis hujus Marchiones & comites confestim prostravit; ad postremum tamen a Hromundo clava percussus occubuit. Deinde Olavus ad insulas Orcades est profectus, ex quibus magnas etiam egit prædas. His feliciter gestis, in Vallandiam sese contulit, ubi multa imperterriti animi specimina edidit. Hinc amplis onustus manubiis in Patriam rediit, ibique tranquille imperium aliquamdiu administravit (b). Interjecto autem tempore duo Gothiæ vel Norvegiæ reguli, cognomines *HADDINGI*, Olavum ad certamen singulare, in glacie lacus Vestro-Gothiæ *Væneri* habendum, nuntiis missis, provocarunt. Nec pugnae aleam ipse detrectavit, sed cum Vinkingis his sæpius & vario Marte est congressus. Tandem quoque, opera inprimis fortissimi Hromundi, cui propterea sororem germanam, *SWAN-HVITAM* (c), in matrimonium dedit, speciosam re-

portavit victoriam (d). Hoc circiter tempore floruisse mihi videtur Jarlus Holmgardiæ, ASPER dictus, quem propter potentiam in magno honore habuerunt vicinæ gentes. Hujus filiam *Rafnborgem* thori sociam sibi expetivit *Sigurdus*, Regis Glæfivallensis *Gudmundi* filius; verum ipso nuptiarum die a Jarlo quodam, *Quintalino*, structis insidiis & abducta prius sponsa, e medio fuit sublatus (e).

(a) Vid. *HROMUNDI GRIPSONII Histor. Cap. 1. p. m. 1. Sa Kongur riede fyrer Gordum, er Olafur biet, han var Son Gnodar. Asmundur, han var fragur Madur. h. e. Gardaricæ præfuit quondam Rex inclytus, Olavus, Almundi Gnodarii filius. Cognominatus autem est Gnodarius a Gnode nave sua insignis magnitudinis & fabricæ, vid. BJOERNERI libr. cit. p. m. 65. (b) vid. cit. Hromundi Histor. p. m. 1 - - - 8. (c) Habuit præterea aliam sororem *Dagny* adpellatam. (d) Confr. BJOERNERI libr. cit. p. m. 68. (e) vid. *SAMSONAR. FAGRAS Histor. p. m. 33 & seqq.**

§. L.

QUOS nuper recensuimus Principes Aldejoburgenses cum Regibus Upsaliensibus fidam plerumque coluerunt amicitiam. Contra ea autem Reguli Holmgardici, qui proxime memoratis seculis floruerunt, impatienter admodum tulerunt imperium Svethicum. Igitur non sine blanda quadam voluptate cognoverunt insolentem ardorem, vel potius furorem, qui hoc tempore Scandinaviæ Principes ad regiones Europæ remotissimas raperet, ubi continuis bellis vires suas attererent; certo certius sibi

bi promittentes, has in occidentalibus terris sævientes tempestates nulla sibi allaturas fulmina; si in libertatem sese adfererent. Copias igitur undique comparant, Svethiam, viris ac opibus pæne exhaustam, jam jam oppressuri. Brevi autem didicerunt orientales hi populi, quam plena periculi res sit, leoni, licet ægrotanti, insultare. Prius enim, quam surgentes cernerent nubes, tonitrua, justas perfidiæ panas ipsis minitantiæ, non sine stupore audiverunt. *RAGNARIUS* quippe *LODBROKIUS*, qui non minus longinquis expeditionibus, quam felicibus armis inclaruit, sua auctoritate & potentia facile prævertit & sustulit anomalias, quas sua absentia per Gardariciam produxerat. Non solum enim feroces gentes mascule repulit, sed, trajectis insuper phalangibus, Regulum quendam, *DIAN* (a) adpellatum, post ancipitem pugnam superatum occidit. Deinde binos hujus filios, *DIAN* atque *DAXON*, Reguli cujusdam Holmgardiæ generos, qui paternæ cædis vindictam moliebantur, prælio devicit, & gentes, quæ horum signa sequebantur, omnes in fugam conjecit. Hinc in devictorum Principum Socerum, cujus nomen non habetur, exercitum movit: sed hic, viribus suis diffusus, salutem fuga quæsit (b). Pari successu ceteros, quos deprehendit, contumaces persequitur, nec prius hinc discessit, quam octo regulos sibi vectigales reddidit, totumque imperium Holmgardicum in suam redegit potestatem (c): quod filio Hwitserkero regendum postea concessit. Ipse autem versus septentrionales regiones sese contulit, Bjarmios, in res
novas

novas pronissimos, debellarurus. Sed ipsi heic negotium fuit non cum militibus tantum, verum cum vaserrimis magis & horrendis larvis; quare infectis rebus hinc primum recedere coactus, ad Sembos & Curlandos sese convertit. Ab his benigne exceptus & copiis atque com meatu satis instructus, in Bjarmiam denuo revertitur. Hæc omnia præviderat Bjarmiorum Rex, quocirca opem *MATALLI*, Reguli cujusdam Fennonum, sollicitaverat, impetrataque haud exigua sagittariorum manu, Ragnarum iterum iterumque est aggressus. Tandem vero secunda fortuna insolentiores facti Bjarmii, deque rupibus in campos descendentes, aperto Marte prælium commiserunt, sed facili tunc victi sunt negotio. Præterea Rex illorum occisus fuit; Matallus autem oportune sese domum contulit (d). Hoc consensionis globo ita disjecto, populisque ad pristinum reductis officium, in Svethiam properat Ragnarus, ut aliis vacaret expeditionibus (e).

(a) In vetustis annalibus hic vulgo dicitur *Rex Hellepontis*, vid. *SAXON. GRAM. libr. IX. p. m. 172.* Scilicet ut Monachi, in Scandiam venientes, Gardariciam Græciæ nomine insigniverunt; ita Mare quoque Balticum cum Helleponto ipsos perperam confudisse verisimile est. Profecto Regnum Dianis in Estonia vel Livonia quærendum esse, jure optimo contendit *E. PONTOPPIDANUS libr. cit. p. m. 352.* (b) vid. *SAXO GRAM. loc. cit.* vel, qui historiam hujus expeditionis in compendium misit, *TORFÆUS in Serio Reg. Dan. libr. III. Cap. X. p. m. 354.* (c) confr. *M. 6ÖRANSSON in Historia Regum Svio-Gothicorum p. m. 86.* (d) vid. *MEURSII Hist. Dan. libr. II. p. m. 41*; cui addas *PONTOPPIDANI*

PIDANI *libr. cit. p. m. 352 - - - 354. (e)* *Ragnarum* nostrum a-
liam adhuc expeditionem in Holmgardiam suscepisse, au-
ctor est *TORFÆUS* *loco nuper citato*. Scilicet, ut cognovit fi-
lium *Hwitserkerum*, dolis circumventum, occubuisse, classem
confestim instruxit, qua auctorem cædis hujus persecutus,
vivum eundem cepit. Hic proinde rigidissimas pœnas haud
effugisset, nisi gratiam victoris supplex implorasset, sancte-
que promississet, se annua ipsi pensuram tributa. Hæc
Torfaus. Meliora autem monumenta ostendunt, *Hwitserke-
rum*, fatis Patris sui superstitem, ultionem indignæ mortis ab
ELLA, Jarlo Northumbriensi, cum fratribus severissime exe-
gisse, *confr. Histor. de Ragnarö Loobrokis Cap. 22.*

§. LI.

Spiritus haud minus animosos inde a teneris con-
ceperat *HWITSERKERUS* (a), cujus modo men-
tionem fecimus, quam pridem aluerat impiger
Ragnarus. Ipsi enim adolescentia ad scientiam
rei militaris non alienis præceptis, sed suis impe-
riis, nec offensionibus belli, sed victoriis est traducta.
Scilicet partim in Gallia, partim quoque in Britannia
tanta fortitudinis documenta edidit, ut exercitus
populorum, qui cursum victoriarum ejus retarda-
re nitebantur, feliciter prostraverit, multos etjam
sola adventus fama dissipaverit (b). Ex longin-
quis autem his expeditionibus domum redux, ho-
stem satîs acrem in ipsa patria expertus est *OLA-
VUM TRÄTELJA*, Vermelandiæ Regem, cum quo
diu & ancipiti Marte pugnavit. Tandem vero
bellum his conditionibus fuit compositum, ut
Hwitserkerus Finlandiæ partem, Holmgardiæ con-
ter-

terminam, quam, ab hoc regno avulsam, sibi procul dubio subjecerat Olavus, reciperet, & vicissim *INGE*, Olavi filius, Ragnari Lodbrokii filiam atque Hwitferkeri sororem conjugem nancisceretur (c). Aliam præterea tempestatem, Rege hoc absente, sustinuit Holmgardia. Dum enim una cum fratribus in Anglia fuit occupatus in morte patris vindicanda, Dani, occasione inservientes, Curlandiam, contra Svecos tunc rebellem, multitudine navium congregata, intercipere sunt conati; sed irrito conatu & magna a Curonibus accepta clade. Fatigatis quidem, sed adhuc contumacibus populis superveniunt Sveci, atque ductu Principis cujusdam *OLAVI* (d) ipsos ad pristinum redire officium cogunt (e). Paulo post victo & occiso Ella, Duce Northumbriensi, in Gardariciam properat Hwitferkerus; ubi armis & prudentia tantum valuit, ut Fennones, Holmgardi, Estones, Slavonii, Krivitzii atque Meriani annua ipsi penderent tributa (f). Quid? Quod remotiores etiam Principes amicitiam Regis hujus Holmgardici quæsilivisse videantur. Etenim post mortem Imperatoris *LOTHARII I.* quæ An. 855. contigit, *RADISLAUS*, Moraviæ Rex, glissentibus tiner filios imperatoris discordiis, partem regni, quam ipsi eripuerant Hungari, se recuperaturum speravit; ideoque cum Poloniæ & Holmgardiæ Regibus fœdus iniit, a quibus magna deinceps impetravit auxilia (g). Interea, dum hæc geruntur, Hwitferkerus, qui domi remanserat, imperium constituit. Enimvero in pacis studia haud nati fuerunt

fuerunt Ragnari filii. Immo, ne quid dissimulem, perversa adeo tunc erant tempora, ut qui benevolentiam civium retinere vellet Princeps, contignis illos detineret bellis. Contracto igitur exercitu, more Majorum Thraciam versus sese contulit strenuus hic Rex. Et postquam cum classe ducentarum navium (b) Moschoviæ flumina transnaverat, sociumque expeditionis Ducem Kioviensem, *OSCHOLDUM* (i), adsumferat, tumidis velis Pontum Euxinum ingreditur. Deinde regiones Propontidis immaniter adeo populatur, ut ne templa quidem & monasteria sævitiam ejus effugerent (k). Hæc prima habetur expeditio propriis auspiciis ab Holmgardis versus Constantinopolin suscepta (l), & incidit in An. 864. vel 865. circiter, *MICHAËLE CUROPALATE* & *BARDA* ad gubernacula imperii Byzantini sedentibus (m). Nec diu moratus, ipsam Constantinopolin recta petit Hannibal noster, quæ extremum subitura interitum jam videbatur. Imperator enim Michaël gravissimo cum Saracenis bello ea tempestate fuit occupatus (n), quod neque componere tum potuit, neque partem copiarum domum reducere sustinuit; satis superque prævidens, Arabes vel se recedentem infecuturos, vel reliquias exercitus mox aggressuros. Ut tamen ab ancipiti hoc, quo premebatur, periculo se expediret, bellum cum Saracenis gerendum Ducibus suis committit; ipse cum paucis admodum militibus in urbem penetrat, tonantem a Septentrione tempestatem, quam vi & armis in

ambigua hac rerum crisi avertere non potuit, industria ac arte propulsurus. Tristi scilicet experientia dudum cognoverant Græci, morem gentium borealium non esse, aliorum invadere & occupare terras, ut illas perpetuo retinerent, sed opes tantum, quarum avidissimæ fuerunt (o), ac gloriam suis sibi victoriis quærere. Aurea igitur & argentea vasa, nec non pretiosissimas vestes fericeas ingenti copia Hwitferkero submitit Imperator; amplisque his muneribus suas provincias a gravissima liberavit calamitate (p). Pace deinceps & amicitia inter belligerantes Principes constituta, haud pauci Holmgardorum sacra Græcorum amplexi, æternæ salutis fonte sunt initiati (q); quorum etjam plerique, qui ab Imperatore Constantinopolitano palatinis officiis fuerunt admoti, in oriente occubuerunt. Tandem ut nova gloria novo titulo illustrior redderetur, Hwitferkerus primus fuisse putatur, qui sese *Chagan* salutari voluit (r). Ex Helleponticis autem regionibus in Holmgardiam revertenti occurrit Princeps *DAXON*, acceptam pridem injuriam vindicaturus. Hujus enim & patrem & fratrem, regno pulsos, occiderat Ragnarus. Quamvis vero recentibus ac numerosis instructus esset cohortibus, Holmgardiæ tamen regem armis superare diffidit; quare ad insidias vertitur. Nam facta cum illo pace, ut credebatur, integerrima, Daxon Hwitferkerum in urbe quadam lauto excepisse traditur convivio. Ubi vero nox incubuit, Holmgardi a militibus Daxonis,

nis, qui specie mercatorum oppidum intraverant, circumfessi nefarie trucidantur. Rex ipse non tam victus, quam vincendo fatigatus, quum propter ingentes stratorum hostium cumulos elabi non posset, captus fuit (r). Qui, cum ægerrime ferret, gloriam tot tantisque rebus feliciter gestis partam, intra horrida carceris claustra obscurari, nec alieno beneficio vivere vellet, a victore tandem impetravit, ut in pyra, ex occisorum militum capitibus congesta, quo sepulturæ genere nihil præclarior barbaro hocce ævo excogitari potuit, vivus concremaretur (t). Sicque Phœnix Regum Holmgardicorum illustrem vitam ignea morte commutavit. Denique notandum est, quod sub imperio Hwitserkeri floruerint duo Russorum Principes SAMOVITUS atque BOGARINUS, qui Christianam doctrinam, quam Sacerdos quidam Nawrok ipsis annunciavit, cum magna civium multitudine amplexi fuerunt (u). Hi autem Ducibus Primisliensibus annumerandi videntur.

(a) Utrum HWITSERKERUS fuerit eximii hujus Principis nomen proprium, an vero cognomen, quæ quidem sententia haud paucis arridet, vid. DALINI *Histor. Sv. Tom. I. p. m. 482*, difficilis videtur quæstio. Nomen hoc profecto est antiquissimum, quo plures fortissimi viri olim sunt insigniti. Sic Holmgardiæ Rex *Yngvarus*, qui tempore *Sturlogi* vixit, Marchionem habuit *Hwitserkerum* dictum, confr. *Sturlogi Histor. p. m. 74*. atque tertius *Suipuri* filius vocabatur *Hwitserkerus*, vid. *Rolff-Krakes Histor. p. m. 40*. Alios ejusdem nominis, Hwitserkero nostro ptiores, silentio jam praterimus. Conveniunt quidem multum quod ad sonum

Serklandia & *Hwitserkeri* nomina, diversa tamen eorum etyma constituere par est. Ut enim illud provinciæ, Finlandiæ conterminæ, impositum e lingua Fennica suos repetit natales; ita etiam hoc, Mavortibus Gothicis inditum, Gothicam spirat originem. *Hwitserker* igitur commode deducitur a Goth, *Hwit* candido & *Serk* lorica, vid. *DALIN. loc. nuper cit.* Quocirca observamus, quod non infrequens fuerit, homines a certo vestium genere cognominari, ceu in primis exemplo *Ragnari Lodbrokii* constat. Porro notandum est, album colorem tam ab aliis gentibus, quam a veteribus Scandinavis tanti factum esse, ut eidem Divini quid inesse existimaverint, vid. *FORÆI Histor. Norv. Tom. II. p. m. 476.* Ab hoc igitur colore, feminis perquam dilecto, nomen acceperunt *HWITA*, Uplandiæ Regis *Ringi* conjux, nec non plures *SWANHWITÆ*. Uterius neminem existimamus futurum, qui derivationem a lorica desumptam, ceu nimis vilem ac regali fastigio indignam, explodat. Ut enim omnibus ferme armis singulares proprietates inesse, superstitiosa credit antiquitas; ita præstantissimam virtutem loricis, utpote corpori proxime contiguis, ipsa tribuit. Præterea ex albo colore, quo lorica *Hwitserkeri* fuit conspicua, deducimur ad genus ejusdem determinandum. Nam vero omnino est simile, quod hic Princeps vel jure hereditatis acceperit præstantem illam tunicam, quam mater ipsius *ASLALIGA* donaverat *Ragnar*o, in Angliam abituro, de qua vid. *Histor. Ragnari Lodbrokii Cap. XV. p. m. 41;* vel etiam inter cetera regalis magnificentiæ instrumenta ab imperatore *Michaële Cæsaropate* lorica obtinuerit *Linteam*, sed certo artificio ita induratum, ut gladio ægre potuerit perforari. Et quoniam talis vestitus populis borealibus insolens esset, cognomen *Hwitserkeri* ipsi fuit inditum. Profecto *AJAX* Oileus apud *HOMERUM* Ἰλιάδ. β. v. 529.

Ἄλλα πολὺ μείων ὀλίγου μὲν εἶναι λινοθάρηξ;

ob *Linream* celebratur *loricam*; atque milites *IPHICRATIS* propter similem laudantur vestitum, vid. *CORNELIUS NEP. in vita Iphicratis Cap. 1*. Si quis porro scire desideret, qua ratione ejusmodi loricae lintea, quae vim telorum eluserunt, fuerint confectae, huic egregie satisfaciet *ROLLIN*, *On a de la peine à concevoir comment de telles Cuirasses pouvoient defendre les Soldats & les mettre en seureté contre les coups, qu'on les portoit. Mais ce Lin trempé dans du Vinaigre, mété de sel, étoit tellement préparé qu'il se durcissoit & devenoit impenetrable au fer aussi bien qu'au feu.* confr. *L' Histoire Ancienne Tom. V. p. m. 454 & 455*. Ab eodem denique vocabulo *Serk* descendit *Berserkorum* seu *Barserkorum* nomen, qui fuerunt pugiles adeo feroces, & tam superbi mortis contemtores, ut nudi atque sine lorice per instructas hostium acies discurrere & cum eis configere non dubitaverint; ferro enim impenetrabiles credebantur. Quales quidem immanes viros tempore Regis *Halsdani* in aula vixisse *Holmgardica*, atque propter ingentem rabiem famosos fuisse, ex *Gotbrici & Rolfi Histor. p. m. 163*. dilucide constat. (b) Vid. *DALINI Histor. Sv. Tom. 1. p. m. 522 & 523*. (c) Confr. *PALLINI GOTHI Histor. Arctoaem Libr. II. Cap. XLIV*. (a) Hic Princeps imperium Svo-Gothicum interea administravit, dum *Ragnar* & ejus filii abessent, vid. *DALINI Histor. loc. cit.* (e) vid. *RIMBERTUM in vita S. Ansgarii Cap. XXVII*. (f) vid. *Chronicon Russorum: POPIEST VREMIANICH in dissertat. J. HELSINGII de Origine prisca gentis Varegorum p. m. 56*. Russicus hic Scriptor testatur, pro quolibet viro solutum fuisse *po bjelvi vieverizy*. Significatio vocabuli *vieverizy* in lingua Moschovitica frustra quaritur; in Polonica autem superest *vieviebra*, quod sciuros denotat; quorum cum alii sint albi, alii nigri, alii denique rufi, mirum non est, quod Historiographus Russicus adjecerit *albo*, vid. *T. S. BAYERUM*

BAYERUM in *Act. Petropolitanis Tom. IV. p. m. 304.* Cui addas *P. PETREJI Chronicon Moschovit. libr. II. p. m. 2.* (g) confr. *Th. PESSINA in Marte Moravico Libr. II. Cap. V. p. m. 146.* (b) Non magna admodum fuisse navigia, quibus in suis expeditionibus versus Constantinopolin usi sunt Holmgardi, ex libro **CONSTANTINI PORPHYROGENITI** de administrando imperio p. m. 9. colligi potest: ἑπειδὴ ἐν τῷ μετὰ τῶν πλείων εἰς τὰς Φραγκὰς τῶν ποταμῶν γίνεσθαι τὰς ῥῶς, καὶ μὴ δύνασθαι διελθεῖν, εἰ μὴ ἐξαχάρασι τὰ ποταμῶν τὰ πλοῖα ἀυτῶν, καὶ ἐπὶ τῶν ὤμων βασιλέες διαβήσωσιν. Ejusmodi navigia portatilia a veteribus Gothis **ASKAR** dicebantur, vid. *Herod. Histor. Cap. V. p. m. 68*; unde & nostri **ASKMÄNNER** cognominati, & **ASCI** a multis usitati populis, nomen sunt fortiti. Notatu igitur digna est descriptio adparatus Holmgardorum navalis, quam tradit Imperator **MAURICIUS libr. II. Strateg.**; ἔχουσι δὲ καὶ ἄσκαρ βασιλέες i. e. habent autem navigia seu *Ascas* ex corio confectos. De modo, quo hi conficiebantur, pluribus differit *Du CANGE in Glossario media & infima Latinitatis, voce Ascus.* (i) Duorum Principum *Oscholdi* atque *Diari*, Comitum *Hwitferkeri*, mentionem faciunt Moschovitarum annales. Verum *Diar* non esse nomen personæ, sed muneris ac dignitatis, coincidens cum Goth. *Droit*, dudum observarunt acutissimi Historicorum. Hunc porro *Oscholdum*, eundem esse cum *ASLAKO*, *Bjarnonis Jarnsida* filio, atque *Hwitferkeri* patruelis, qui, patruo absente, immorigeros *Curlandos* ad officium redire coëgit, nec non post expeditionem Constantinopolitanam, in qua *Hwitferkero* suppetias tulit, familiam, *Kioviæ* diu regnantem, condidit, perquam verisimile est, vid. *DALINI Histor. cit. p. m. 523 & 537.* Denique tenendum est, quod ab hoc Principe nomen suum acceperit fluvius *OSKOL*, qui in flumen *Tanaim* haud procul ab hujus origine illabitur. (k) Hanc vastationem

tionem prolixè & graphice describit *NICETAS DAVID PAPHLAGO* in *vita S. Ignatii Patriarchæ Const. Tom. V. Conciliorum HARDUINI* p. m. 956. (l) vid. *Simeonis LOGOTHETÆ Annales* in *MICHAELE Cap. XXXVIII.* p. m. 445. (m) confr. *T. S. BAYERUM* in *Act. Petropol. Tom. VI.* p. m. 367 & 368. (n) vid. *Simeonem LOGOTHETAM & LEONEM GRAMMATICUM.* (o) vid. *CONSTANTIN. PORPHYROGEN. libr. cit. p. m. 10.* (p) Confr. *Continuatorem THEOPHANIS* p. m. 211. Alium præterea liberationis modum, sed plane miraculosum, tradunt *POVIEST VRĚMIANICH & LEO Grammaticus*: Scilicet Imperator *MICHAEL* & Patriarcha *PHOTIUS*, fufis ad DEum precibus, e templo *Blachernarum* stolam B. Mariæ sumferunt, cujus oram ut mari immerferunt, maxima confestim furere cœpit tempeftas, qua naves *Holmgardorum* ad scopulos allidentes graviffimum fecerunt naufragium. Sed quis, quæfo, emundioris naris non videt, quod hæc narratio aniles nugæ & monachales redoleat ineptias. Hoc autem inde plenius colligitur, quod *Photius* in epiftola encyclica ad Patriarchas Orientis *Holmgardorum* expeditionem, fine ulla tamen miraculi memoria, exponat, confr. *BAYERUM loc. cit. p. m. 381.* (q) *Holmgardi*, qui hac occasione converfi fuerunt in *Annalibus Græcorum CUMANI* dicuntur; quos vero *Kiovienses* fuiſſe, exiſtimat *BAYERUS loc. cit. p. m. 390.* (r) vid. *Corps Diplom. de DU MONI Supplem. Tom. 1;* vel, ſi vacet, conſulantur *Annales Francici Bertiniani apud DUCHENIUM Tom. III. p. m. 195.* Tenendum autem eſt, quod *Chagan* fuerit nomen perſonale, vid. *REUTENFELSI libr. cit. p. m. 33;* inprimis vero hoc titulo dignitas & ſplendidum munus ſit indigitatum. Hinc *Tattari Calmuokienses* Principem ſuum *Chan* adpellant, vid. *Tabulam Polyglottam inſertam operi Historico STRAHLENBERGI;* atque Imperator magnæ *Tattariæ Tattar-Chan* ſalutatur. Porro vox *Chagan* ſeu *Chakan* lingua Arabica Imperatorem ſeu

22079 significat. Ab eodem vocabulo arcessendi videntur natales, nominis *Czar*, quo principes Moschovitici postmodum usi fuerunt. *Zar* enim & *Czar* denotant *magnum*; quare etiam *Zargard* & *Miklagard* in annalibus nostris Synonyma habentur. His licet positis, non tamen morose repugnabimus, si quis originem vocis *Zar* a Gothic. *Sar* Domino potius deducendam esse existimet. (r) vid. SCHOENSTRÖM in *Histor. Patr. MS. citat. a DALIN libr. nomin. p. m. 526*, nec non *Alb. KRANTZII Suec. libr. V. p. m. 304*. (t) vid. *Histor. RAGNARI LODBROKII Cap. XXII. p. m. 63*. (u) *Confr. STREDOWSKI Moravia Sacra libr. II. Cap. VIII. p. m. 234*.

ERUDITISSIMO DOMINO
JOHANNI COLLIANDER,

Consanguineo Suo.

Quamvis nulla inveniatnr disciplina, cui sua non sit dignitas, ceteris tamen omnibus praestantia ac utilitate antecellere videtur Historia. Haec enim a DIONDRO SICULO recte vocatur Φυλακή της των αξιολόγων ἀρετης, μάξιμος της των Φαύλων κακίας, ευσεβείας τῆ κοιῆ των ἀθροῦπων γένους. Scilicet haec deducendo nos in familiaritatem hominum, qui multis saeculis vixerunt, totius vitae ipsorum rationes nobis ostendit. Haec porro efficit nos secretorum arbitros, & Regnorum ac Rerumpublicarum arcana detegit. Omnes igitur, qui prudenter vitam suam instituire volum, fidam hanc Magistram sequantur. Recte itaque, Mi Amicissime COLLIANDER, fecisti, quod tam aliis scientiis, quam imprimis Historiae horas Tuas conseceres, Quantum in hoc studio profeceris, vel ex Dissertatione hac, quam brevi es defensusus, satis superque constabit; auguror enim Te ex cathedra omnium honorum adplausus fore repositurum. Interea gratulor Tibi felicem ex Belouae castris ad iucunda Musarum delubra reditum. Gratulor Tibi eximias ingenii & corporis dotes, quas suavissima virtutum copula valde exornat. Denique ex toto pectore voveo, velit supremum Numen assiduitatem laborum Tuorum largissimis mactare praemiis, Teque incolumem in Tuam Tuorumque gaudium quam diutissime conservare.

OTTO REINH. BOECKMAN,